

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-nonâ Novembris. 1716.

M. PHILIPPO DOUTE', antiquô Facultatis Decano, Præside.

An fluentium in corpore magna potentia?

I.



CORPUS humanum esse quid unum, qui contendit, Philosophus non est; unde doleret & à quo afficeretur, non haberet: Qui illud affirmat compagem partium continentium & contentarum, narrat quod oculis subjacet; his qui addit partes impetum facientes, cum Hippocrate graviter & acutè ratiocinatur. Partes continentes vocant solida, contentas dicunt fluentia, ut & impellentes Spiritus, suppellex vitæ fundatissima, Animæ vinculum cum corpore, naturæ robur & magna potentia. Partes solidas distingunt figura, commercia, officia, opera: Fluentium potestates indigitant motus, circuitus, æstus, usus, sapor, temperies: Indè facultatum origo, functionum causa, temperatorum varietas, idiosyncrasia, vitæ beneficia, maleficia. Quibus legibus stet singulorum motus, omnium symmetria, confluxus, conspiratio, consensus;

Qui novit, intelligit unde homini vita, ſanitas, morbus, mors contingant: peculiaris ad faciendam Medicinam dignotio quæ probat & aſſerit artificem.

II.

SOLIDORUM opera nulla ſine fluentium interventu conſpicua; nulla perfici poſſunt abſque illorum influxu. Generatio, conceptio, nutritio, accretio, augmentum, motus, quot viventis functiones, tot mirandi Fluentium effectus. Generatio, conceptio, inſitâ & immutabili motus Fluentium lege exercentur. Partium evolutio Fluentium vis maxima, ab ipſis ſurgit ſolidarum apparatus, fit in dies inſtructior in vitæ munia. Primordia vitæ palpitans cordis punctum, micat ab inſito Fluente, rubrum pulſat à ſanguine. Inchoata hæc hæmatoſis abſolvit vitæ curriculum, alimento quotidie multiplicatur; continuò propagatur; pars quælibet laudabili ſucco turgida erigitur, creſcit, firmatur; noxio riget & turbatur, relaxatur inops, penitùs orba deficit. Dentium eruptio à ſpirituum ἐκλάμψει, eò felicior quò illa major & liberior. Ab ortu cuique ſua ſors pro Fluentium naturâ, dote, impetu: pro Illorum copiâ ſtati magnitudinis, quantitatis limites, deſignata omnibus peculiaris proportio perfectionis, vigoris, inclinationis, diſſolutionis; quaſi redeunte ad carceres Fluente & ad idem principium unde erupit, flectente; Æternâ hâc motûs lege ſibi par & æqua ſemper natura naſcente aut deſinente mundo, juventutis expers & ſenii. Fabulam narrant, qui humorum fontes aliunde, quàm à fluidis manare volunt, nec ſapiunt illorum vires, qui hauriunt à ſolidorum tritu. Etſi millies tritum, permolitum & lævigatum corpus nuſquam in ſe convertet ullius ſaporis indolem. Saporum vis omnis precaria de elementis nata; quot ſapores, totidem parturientis mixturæ fœtus; nulli niſi fermentatione, coctione, ſolutione, ſecretione, contemperatione, maturatione delendi; indè produnt Fluentium innumeræ dotes, frequentiores querelæ. Abſque fluido nulla reſiliendi facultas. Queis elater nullus, conciliatur ejus conſortio. Funes cymbarum rectores quâ parte aquis innatant, oſcillatorio donantur motu; is in ſiccâ vix ſenſilis aut nullus. Quovis mochlico potentior Fluentis virtus. Lapides, qui ultrà attolli

non poterant, excelsiùs protrusit simplex Fluidi adjectio. Tota in Fluidis natura. In naturâ nil præter Fluens & Solidum. Solidorum corporis magnum artificium, major Fluentium virtus. Nullus solidorum à seipsis motus, perennis Fluentium motio. Corpus humanum machina decantatur: pneumaticis aut hydraulicis organis instruantur aliquæ, nil absque aquâ & aere expectandum; alterutrius apparatu machinatio torquebitur, defectu hærebit immota. Illud ipsum in humanâ machinâ pariter admittendum, fluentis vis intus agit, infusa per artus, tota molem agitat & corporeo ædificio indesinenter se miscet; aliunde iners, otiosum & exangue cadaver.

I I I.

ARGUMENTO sanè solidarum partium compagem non haberi efficientem causam functionum-corporis. Inest quidpiam viventi, quò fit is potentior demortuo, & quò ad obeunda vitæ officia se comparet: talis causa in corpore quænam alia à Fluentium potentiâ? Hâc præsente vita actioque omnis perficitur, hâc decedente, vita perit ac dissipatur. In hæc tamen commercia non parùm conspirant partium continentium nexus amabiles. Cui perspectum quanta functionum, quibus destinantur, varietas, ultrò notum, quàm necessaria organorum diversitas, omnis in gratiam Fluentium adornata comparataque; totuplex fermè, quotuplex Fluentium natura, species, usus; humor primigenius & radicalis aërius, aqueus, uniens, fixus in solidis. Alimentarius remotus chylus; proximus in parte, cuique suus, pro quadruplici, quam subit, mutatione vulgò dictus quadruplex *innominatus*, *ros*, *gluten*, *cambium*. Excrementitius naturalis individuo, per totum diffusus serum, ichor in sanguine, in vasis sanguis, partibus lympha; in parte secretus & collectus, bilis in cysti, cujus præcipua vis in amarore, limus sanguinis in liene, lympha in glandulis & pancreate: speciei propagandæ semen, alendæ lac. Inutilis, totius corporis, fœces alvi, urina, sudor, sordes; partis, uti capitis, oculorum, aurium, pulmonis: præter naturam, ex alimentario pus, ex excrementitio utili inutili ichores alienâ qualitate corrupti, pituita vitrea, acida, salsa, gypsea, bilis vitellina, porracea, æruginosa, isatodes, atra. Omnes de sanguinis am-

plitudine, temperie oriundi veluti totidem de fonte rivuli, ſanitatis opifices pariter & morbi. Sanguis à ſanguine aſſimilari nihil poteſt niſi cognatione ſubſtantiæ. Quodlibet non fit ex quolibet, ſed determinatum à determinato : iis, quibus nutriri quis poteſt, protinus non alitur: Inde multiplicis alterationis prima neceſſitas, eò major operoſiorque futura, quò alimenti auctior contrarietas. Quod molliſſimum, non uno ſtatim impetu durum fit, quod duriſſimum, molliſſimum. Ex pane, ex betâ, ex fabâ quomodo fiet ſanguis, niſi hæc priùs mutationem ſint adepta, ad quam vario labore eſt opus? Præparat tritus, promovet ſaliva præſens chyloſeos compendium, ſolida, ſicca, dura alimenta imbuit, colligit, macerat, in aliam ſpeciem mutat, nec tamen omni ex parte perficit; jam antè aſſecuta cremoris naturam alimenta, ut ſorbitiones, pulticulæ, intrita; aut mox aſſecutura, ut mollioris cibi apparatus omnis, retineri in ventriculo habent neceſſe ; in ſuibus contentum adhuc cibum ex aquâ & farinâ poſt quatuor horas oblatum diſſecto ventre animadvertere eſt. Quare coctio aliud à chyloſi, quemadmodum ſanguificatio alia à nutritione. Ut ſanguificatio à ſucci ſpecie, nutritio à partis ideâ quam nutrire debet; ita ad coctionem oportet ut alibilis omnis materia expreſſum ventriculi ſubſtantiæ characterem ſibi ſumat in familiaritatis adeundæ teſſeram hoſpitalem, cujus occaſione tum illi adeſt privatæ nutritionis opportunitas; hæc miracula tanta Fluentium beneficia, proprietates indefinitæ, innumeræ potentiæ ſingulis in partibus ultrò conſpicuæ.

I V.

FLUENTIUM craſis à legitima principiorum, quibus conſtant, unione. Juxtapoſitio non eſt unio. Craſis non ſecundùm juxtapoſitionem corporum in minima diviſorum. Mixtio non in illorum mutuo poſitu ad invicem mixtionem conſtituentium, ſed in unione miſcibilium, ita ut nulla portio illorum ſit expers hujus mixturæ. Impermixtus humor non fermenteſcit. Sanguis utiliſve ſuccus in corpore vix ullibi ſincerus. Vacuandi ſecernendique ſtudium ideo indeſinens vitæ officium, ne momento ceſſans ſine ſanitatis diſpendio. Ut vino non accedit gratia & ſaliva, niſi fermentationis ope, ita & ſanguini integritas ; utraque ex toto corrupta nuſquam redeunt

ad priſtinam naturam : Ut autem corruptelæ alius atque alius modus eſt , ita & medelæ. Haud erit proinde cuiquam admirationi tantus & talis apparatus inſtrumentorum , quorum alia debentur Fluentibus defæcandis , ſeparandis alia , alia tranſmittendis , ſuſcipiendis alia , alia expellendis , ſalubribus ſuccis in omnem partem ferendis alia , alia motibus obeundis inſerviunt , ſenſationibus alia. Ut in muſculis villi ad nutum noſtrum aëris & ſanguinis præſentiâ motum efficiunt , ita & naturalibus inſtrumentis recti villi ſolâ Fluentium ope contracti ſurſum pellunt , tranſverſi aſtricti ſubditam capacitatem in anguſtum adducunt , & quidquid eâ concipitur detrudunt ; obliqui æquabiliter intenti omnia planè continent , nil ſurſum aut deorſum movent. Cuicumque inſtrumento triplex hujus munus acceſſit , triplex Villorum genus à naturâ conceſſum , cujuſque robur , tonus , temperies à Fluentium naturâ , dote , temperie. Cor muſculus. Conſtanti robore Fluentium libramentum eſt ; ſanguis in hujus ſinubus dilatatus , majorem locum occupans pulſum facit , inde anguſtiarum impatiens è corde emiſſus eique circumpulſione redditus alternos habet recurſus ex arteriis in venas. Hoc itu redituque universâ veluti radiatione totum corpus vivificat. In ſenſuum organis excubans animam provocat ad intelligendum , anima pariter Fluens regit ad arbitrium moto ſpiritu quo ducitur. Sub hoc æſtu & impetu Fluentium quàm mirè torquentur ſolida ! Quis non expertus in humores mentis dominium , ad cujus nutum ita ſæpenumero conſpicias in aliis partibus inſiti caloris opus fervere , deſiderari in aliis , ac vacare tandem. Unde præ cæteris pronior in obſequia ſpiritus , itque reditque viam , ac viſcera modò totus penè deſerit , cùm corporis effuſus ambitu præceps palatuſque procurrit. Juſſus modò iterùm ſe recipit caſtris , vitæque laribus condit. Hinc illinc manant derivanturque fontes perturbationum ; exinde plenas & integras Fluentium in corpore vires accipimus. Viden' laborantis in fœta muliere appetentiæ errores ex fide repræſentari ? Quid ira , timor , gaudium damni non afferunt : mens juxtà corpuſque percellitur , vitæ munia interturbantur ; amore , lætitiâ , deſiderio animæ jucundâ commotione ſanguis præter ſolitum & pacatum curſum ad ſuperficiem corporis erumpit ; unde vividus in cute color eflloreſcit : odio , mœrore , metu

ad corporis centrum citò revocatur. Gravius importat malum ſubitus & improviſus timor, & quæ animum excoquunt, gravantque curæ. Pavidis antliæ cordis pereunt, ordine nullo, inconditè, densè, ſubſultim micant arteriæ, præcordia inteſtinâ obſidione cinguntur, ſub pondere Fluentium premuntur vitalia. Quid plura; non aliter ac procellæ amnem quietum quoquoverſum impellunt, pariter animi pathematis Fluentia motum ſolidorum interturbant, ita vincunt ac ſubjugant, ut boni malive præſentis vehementi opinione tarda lethi neceſſitas ſubitò corripiat gradum; tantæ ſcilicet molis ſunt in corpore Fluentia, tantæ virtutis ac potentiæ.

V.

EA ratione corporis naturam omnino ſubvertunt qui Fluentium indolem, efficaciam acceptam ſolidis referunt. Ad illorum vim nil confert ipſa moles partium; in magnis corporibus non ſemper magnæ virtutes, nec in exiguis exiguæ. In corpore humano advertendum movens & motum; Fluens & ſolidum. Inde repetenda partium ejus præcipua vis & potentia. Impellens artificis rationem ſubit, impulſum inſtrumenti. His concurrentibus publica privatave vitæ officia exercentur. Fluentis gratia ad omnes venit, ſolidi verò ſpectatur in ſingulis. Illius una omnium, hujus diverſa ſingulorum. Illa movet partes ſingulas, hæc unaquæque ſibi coutitur. Aër circumfuſus, vitalis Fluens ponderis, & elaterii ſuccuſſu per cunctas corporis partes indeſinenter permeat. Ad hunc excipiendum ut & expellendum ſcitè admodùmque affabrè conformata pectoris & pulmonum fabrica, præeunte & alternante hoc motu Fluentia ocyſſimè percurrunt. Sanguis, ſuccorumque ſupellex aptiſſima ſingulis functionibus obeundis, ad partes prorumpit & continuò agitur. Ad Fluentis odorem unaquæque viget, & efflorescit. Non ſecùs ac in hydraulicis machinis aqua per tubos figurâ, poſitu, poriſque diſſimiles irruens innumeras motiones ad Naturæ exemplar ſubtiliter exprimit, quæ, cùm ſupprimitur, illico deſinunt; pariter in corpore, quò feruntur humores, facultas & vis potior, abſque illorum concurſu nulla pars actionem ullam oſtendere poterit & tueri: hinc collige tot mortis genera, quotuplices ſunt intercipiendi Fluentis

modi. Emortuo eadem partium ſolidarum configuratio, cur vitæ munia obire nequit ? abeſt vitalis Fluentium potentia; hanc flabello aliâve arte intrà pulmones & vaſa ſi daretur excitare, quâ ratione Fluentium energiam, hâc eâdem, quaſi ſpiritu à quatuor ventis inſufflante, ſimilem exhiberes vitæ imaginem. Demum cùm ex recepto axiomate, illud maximè tale, quod cæteris cauſa eſt ut talia exiſtant, inſtrumentorum ſupellectile & ornatu licet inſtructa corporis machina vitam exercere, nutriri, creſcere cùm non poſſit niſi præſentiâ Fluentium, ope & interventu, quorum vires regere, excitare, intendere, remittere, temperare, frangere, ut præcipuum medentis officium, ſic in ipſius eſt poteſtate Fluentium adjectione detractioneve vitæ ſpatia laxare, & ultrà perennare, rectè infertur.

Ergo Fluentium in corpore magna potentia.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Joan. Depiney Peſchard.

M. Philippus Fontaine.

M. Antonius Pepin.

M. Petrus Azevedo, Pharmaciæ Profeſſor.

M. Joannes Herment, Medicus Regis ordinarius.

M. Stephanus Fr. Geoffroy, Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis, Regiæque Societatis Londinenſis Socius, Lector & Profeſſor Regius.

M. Franciſcus Goüel.

M. Joannes-Baptiſta Doye, Ex-Decanus.

M. Urbanus Leaulté.

Proponebat Lutetiæ MICHAEL-LUDOVICUS VERNAGE Pariſinus, Baccalaureus Medicus, die Jovis 19 Novembris, A. R. S. H. 1716. à ſextâ ad meridiem.

Typis JACOBI QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.